

*Quædam de Carcere Scholastico
Scholæ Crucianæ Dresd.*

עמ"י עשו

CARCEREM,
 UT
CORPORIS ET ANIMI
 MEDICUM EXCELLENTEM,
 DUO
 PRÆCLARÆ SPEI ET EXPECTATIONIS
ADOLESCENTES
 INGENII ET ELOQVENTIÆ EXERCENDÆ
 GRATIA, DIE CRASTINA (30. NOV.) HORIS à
 SECUNDA POMERIDIANIS
 LAUDIBUS EFFERENT,
 QVOS UT
PATRONI, FAUTORES,
 OMNESQ;
 REI LITERARIÆ BENIGNI ÆSTIMATORES
 AUSCULTATIONIS HONORE DIGNENTUR,
 DECENTER ATQVE AMICE
 EOSDEM CONVOCAT
JONAS GELENIUS, CRUC. RECTOR.

DRESDÆ,
 In Officinâ Typograph. Elector. Saxon. Excudebat
 JOHANNES RIEDELIUS.



Ad Alumnos disciplinæ Crueiani Dresdenfis PROSPHONEMA.



*l. 3. Annal.
c. 26.*

Ræclare sanè mortalium res se haberent, si ea nunc fluerent tempora, qvalia priscis fuisse seculis alicubi memorat Tacitus: *Vetustissimi, inquit, mortalium nulla adhuc mala libidine, sine probro, sine scelere, eo- que sine pœna aut coërcitionibus agebant: neque premiis opus erat, cum honesta suo pte ingenio peterentur, Et ubi nihil per metum cuperent, nihil per metum vetabantur.* Non jam in præsentiarum irritum acumen exercere juvat, num gravissimus auctor felicissimum protoplastorum respexerit statum, cujus aliqua notitia vel ex traditione gentilium, vel inspectione librorum Mosis ad eum dimanarit; an potius svave illud Poëtarum de aurei seculi felicitate somniū animo volutarit suo: Id certe verimonia ipsa verius esse mecum fatebitur quisqve, neq; fuisse olim, neqve futuram civilem aliquam societatem, qvæ quidem edurare possit, si in ea neqve rectè factis præmia extent ulla, neq; supplicia peccatis. Nam qvam vel Plato nobis ex ingenio suo extudit Rempublicam, vel Morus Utopiam concinnavit, aut Campanella Solis delineavit civitatem, aut jam olim Ammonius Philosophus Platonopolin somniavit, ingenii svaviter ludentis commenta sunt, non ad historiæ fidem, sed ad effigiem qvandam perfectæ Reipublicæ, qvalis nulla fuit usqvam, ut absolutus ille numeris omnibus Tullii orator, exigenda. Verissimè igitur Solon unus ex septem Sapientibus Græciæ, & solus ex septem legumlator peritissimus affirmat, duo esse, qvæ Rempublicam continent, *præmia videlicet ac pœnas.* Hæ sunt duæ illæ columnæ, quibus non Reipublicæ tantum, verum cujusqve etiam societatis ædificium fulcitur, his demtis, hanc quoq; concidere necesse est, *Grex est, inquit Paschalius, ferarum immanium, non cætus hominum ea multitudo, apud quam nullâ pœnâ quisquã deterretur à sceleribus, nullo item præmio homines revocantur ad originem nobilitatemq; suam.* Cæterum cujus potior in Republica usus sit, quodq; horum, præmia videlicet an pœnæ, majorem vim in animis hominum intra honesti septa continendis habeat, rerum civilium arbitris anqvirendum relinqvimus. Qvanqvam enim Sapientissimo Romanorum iudice *Rectorem civitatis deceat quam diu potest verbis, Et his mollioribus ingenia curare, ut honesta svadeat, cupiditatemq; honesti Et æqui conciliet animis, faciatq; vitiorum odium, pretiumq; virtutum;* sunt tamen nonnulli, ne dicam benè multi, sive natura ita pervicaces, sive in vitia ita proni, ut recta seqvi aut refugiant, aut detrectent, quorum delictis nisi severitatem accommodes, nunqvam ad officii recti limites eosdem revocaveris. Qvare is demum sapientissimi Dam-
miur-

*De Coronis
l. 5. c. 2 p. m
287.*

*Seneca l. 1.
de ira, c. 5.*

miurgi nomen obtinebit, qui geminis his fulcris Rempublicam suam fulserit ac constabiliverit. Atq; hanc etiam laudem jure meritoque suo Nobiliss. & Ampliss. Urbis nostræ MAGISTRATUI tribuimus, qui non Rei tantum publicæ, verum etiam Scholasticæ regimen præmiis ac poenis sapienter temperavit, atq; ita pulcherrimam illam societatem benignitatis cum severitate salubriter miscuit. De Augusto Romanorum Imperatorum augustissimo Tranquillus memorat, quod summum studium voluntatemque prolixam bono publico testaturus, sequentia ad Patres C. Reipublicæ Romanæ scripserit: *Ita mihi salvam ac sospitem Rempublicam sistere in sua sede liceat, optimi ut status auctor dicar.* Cui voto quantum opere eventus responderit, Tranquillus jam laudatus aliiq; nos edocent. Nihil dedero auribus Nobiliss. atq; Ampliss. nostri SENATUS, si dicam hanc pariter summam votorum ejus esse, ut cum Republica, Rem quoq; nostram Scholasticam, cujus illa, si verum dicere amamus, pars si non prima, certe nec in postremis numeranda est, salvam ac sospitem in sua sede sistere ei liceat, optimiq; & IPSE status Scholastici Autor dici mereatur. Sane quicquid curæ auxiliique à tam Amplissimo Ordine vel votis concipi, aut saltem expectari poterat, illud omne, accedente Summè Rev. & Magnifici Dn. Ephori auctoritate, cumulatè largiterq; præstitit. Testes huic rei sunt tot ultro citroque hæcenus institutæ graves ac seriæ deliberationes: testes tot præclari sumptus in Scholâ restaurandâ amplè largiterq; effusi, adeo ut qui pristinum ejus squalorem cum moderna elegantiâ contenderit, verò verius hæc me scribere fateatur necesse est. Quæ in parte præclaram & non à nobis tantum, sed ab omni etiam posteritate memorandam publici boni provehendi declaravit operam VIR Nobiliss. atque Consultiss. DN. MARCUS DORNBLUTH, J. U. D. Sereniss. & Potentiss. Elector. Saxonæ redituum Provincialium Procurator, Reipubl. nostræ Prætor ac Scholarcha gravissimus, qui jussu atq; auspiciis Patrum C. etsi coacervatis litium sacris non circumseptus, sed obrutus plane, nulli tamen labori, nulli pepercit operæ, usque dum nitido, quo jam visendam se præbet, eam induisset cultu. Qui tametsi malit animi hunc fructum conscientiæ potius horreo conditum, quam rumoris aurâ ventilatum sparsumq; tantum tamen, tamq; pervigil præclare de Scholâ hac merendi studium silentiò tegere nobis religio fuit. In vosmetipsos quantum beneficentiæ his tantum proximis annis, ut superiores taceam, à laudatissimo hoc Scholæ Nutritio derivatum sit, ignorare certe absq; foedissima ingrati animi notâ non potestis. Quicquid hæcenus vel in Præceptorum muniis, vel lectionum serie aut stabilitû denuo, aut prudente judicio immutatû, vestris id unice factum commodis. Eliminata atq; proscripta sunt complura, quæ hæcenus sensim, ut fit, irrepente prava consuetudine inolevere: excussæ sunt & sta-

In Augusto
c. 28.

JKy a 3313

l. 6. c. 9.

l. x. de leg.
sub fin.

& stabilitæ leges: defectus non investigati tantum, sed etiam suppleti: quin & concordia nostræ consultum, ut ad figulos & fabros, vel orcum potius, unde illa trahit originẽ, relegata discordia & obrectatione animo tranquillo salutis vestræ invigilare nobis liceat. Quæ universa atq; singula nisi quis in maximis beneficiis, & inter studiorum præmia plane eximia connumeret, eum non dicam Hypsea cœciorem, sed Abderiticum plane, astrosum, atq; exterritæ mentis esse oportet. Verum enim verò quum complures ita ingeniatos esse rerum magistra docuerit experientia, ut animus eorum in nequitia non peregrinetur tantum, quod alicubi Valerius M. ait, sed plane habitet, eaque quorundam pervicacia sit, ut nullis præmiis cupiditas recti honestiq; mentibus eorum conciliari queat, quare tibicine altero etiam Nobiliss. & Ampliss. Senatus Scholam suam fortius suffulcire, & supra cæteras pœnas Carcerem etiam in Schola nostra extare voluit. Nam & in Scholastico hoc regno, pro indulgentia rigor quandoque est induendus, & non solum à præmiis, sed etiam à mitioribus pœnis ad severiores deveniendum, ne pietatis hæ & bonarum mentium officinæ in nescio quæ libidinum prostibula & feritatis cyclopicæ antra commutentur. Carcerem, inquam, in Schola nostra Senatus esse voluit, ut improbi in officio retineantur, & ab enormibus delictis, si non amore virtutis, pœnæ tamen formidine submoveantur. Inter carcerum genera, quibus Græciæ Græcia Athenæ olim instructæ fuerunt, divinus Plato unum *σωφρονιστηριον* appellatum memorat, quod eo turbidos cives ad saniolem rationis usum revocare solerent: Carcer hic etiam noster, non Barathrum aliquod, non Tullianum, non Lautumiæ, aut domus Charonia, à quorum ille horrore longe abest, sed SOPHRONISTERIUM erit atq; appellabitur, quò effrenatæ improborum cupiditates, à quibus illi nimium quantum sæpe numero abripiuntur, tanquam in gyrum rectæ rationis & doctrinæ reducantur. Nihil enim carcer hic ad Adolescentes optimarum artium & veræ pietatis ardore flagrantes, quorum vita maxime disjuncta est à pravis cupiditatibus, quibusque pudor est peccare, pudor nihil scire; sed M. Bibulos, L. Sauffejos, Junios Brutos, aliaque id genus Scholarum dehonestamenta, qui sentient imposterum Carcerem in Schola esse, vindicem scelerum, atq; post alios omnes vitæ melioris magistrum. Et hujus etiam rei causa, ingenii præterea ac eloquentiæ periclitandæ gratia, carceris in societate humana utilitatem eximiam duo spei elegantis, virtutis insuper atq; doctrinæ cupidissimi Adolescentes deprædicandam susceperunt. Quorum alter EMMANUEL Wenzel/ Geiffing, Misnicus, Carcerem ut Medicum animi præstantissimū laudibus efferet, alter vero ADAM Gottlieb Zwirner/ Dresdensis, Carcerem etiam corporis excellentem medicum esse demonstrare conabitur. Quos excipiet probatæ nobis pietatis & industriæ, atq; notijam successus Adolescens HEINRICUS BENJAMIN PROMNIZ, Pirnensis, qui Nobiliss. & Ampliss. Urbis nostræ SENATUI pro nitido atq; eleganti Scholæ nostræ cultu, quò, amandato pristino squalore, eam superioribus his temporibus convestivit, carmine Heroo debitas persolvat grates, Eiq; vitam ac perennem felicitatem apprecabitur. Cui acroamati cum dies crastinus, finitis sacris pomeridianis destinatus sit, nostrum est omnes rei literariæ Patronos, Fautores atq; Amicos ad audiendum illud observanter invitare, ut succrescentium in spem seculi Adolescentum industriam honorifica præsentia sua acuere, eisq; ad majora capeffenda faces subdere dignentur. Quod superest D.O.M. Rerum publicarum Scholarumq; Rectorem ac Præsidentem supplice voce precamur, ut inter tot seculi incommoda, & trepidas Patriæ res, Urbis Scholæque nostræ fata ac fortunas, sub tutela ac mansuetudine Celsissimæ Domus Saxonicae benigne in perpetuum dispenset, ac moderetur. P.P. in Elect. Dresda, secundo in ante Calend. Decembr. M. DC. XCIII.

107

201



Ya
3313

*Quædam de Carere Scholastico
Scholæ Cruciana Dresd.*

CALAM,
CORPO NIMI
MEDICEM,
PRÆCLARA TIONIS
ADCOES
INGENII ET EI RCENDÆ
GRATIA, DIE HORIS à
SEC NT,
LAUDI DRES,
PATRO MATORES
REI LITERA TUR,
AUSCULTA ECTOR.
EO

In Officinâ Ty
J

udebat



PONICKAVIANA

